

ANNOTATIONES.

ANNOTATIO (1) pag. 6.

Hic Parisienses et Venetæ quædam antiquæ editiones, post non a montibus, prosequentur sic: *Salus igitur nostra et auxilium nostrum Christus filius summi Patris: et cum eodem Patre Deus omnipotens est, et cum ipso permanens semper secundum id quod est. In illos denique, quos commemoravi montes, nisi levaveris oculos, etc.*

ANNOTATIO (2) pag. *Ibid.*

Plerique manuscripti habent : *non admoneberis.*

ANNOTATIO (3) pag. 7.

In Venetis et Parisiensibus vetustis editionibus hæc leguntur, aut lapsus cadas. Auxilium, inquit, meum a Domino. Non a qualicumque; quia dicuntur Domini multi, mortales, caduci, miseri: sed a Domino dominorum, ab illo videlicet, qui fecit cœlum et terram. Ecce sumnum Dominum, qui est Deus et Dominus: dicitur Deus, quia quæcumque facta sunt, per ipsum sunt, et ab ipso sunt ut sint; Dominus au-

tem : eo quod omnia quæ sunt, possidet ineffabiliter. Igitur bonus et summus Dominus, qui et Deus. Si ad hunc per prænominatos montes levaveris oculos, auxilium tuum sempiternaliter erit. Ut ergo auxilium tuum sit, roga et dic quod sequitur : Ne des, etc.

ANNOTATIO (4) pag. 7.

Editiones illæ Ven. et Par. Superbia cecidit de cœlo in terram. Angelus erat in cœlo, cadens in terram diabolus a se ipso per suam superbiam effectus est. Quisquis superbit, diabolo participat : si participat, idem est : igitur omnis superbus diabolus per bicipitem portionem est ; et hoc quandiu superbus est. Non ergo movet. etc.

ANNOTATIO (5) pag. Ibid.

Hoc item loco in illis editionibus Ven. et Par. habetur istud glossema, O lepidi ac lipidissimi pedes charitatis, qui humiles ad celsitudinem provehunt. Hos pedes, charissimi, semper imitando et amando sequamur, ut ad illum cuius sunt, pervenire mereamur, quia ut Joannes ait, Deus caritas est. Superbiæ omnino fugiamus, quæ movet pedes ad cadendum, ne et nos simul superbiendo cadamus. Ideo et ille, etc.

ANNOTATIO (6) pag. 18.

Parisienses et Venetæ antiquiores editiones, maxime Arianorum, qui tres ἀποστάσεις ἀποστάσει, id est, tres subsistentes substantias introduxerunt, sed Dei misericordia auxilio primus hujus auctor erroris exilio

damnatus catholicorum Patrum perpetuo, nunquam ad communionem dicitur morte interveniente pervenisse. Alius vero per totam Orientis regionem digna et consimili mulctatus est pœna. Sed si aliquis horum vel aliorum, ut dixi, deceptus erroris vœsania, aliquid minus in Filio, aut, etc.

ANNOTATIO (7) pag. 19.

Hic Parisienses et Venetæ antiquiores editiones id insertum habent, De hoc sole pater Athanasius Alexandrinus episcopus ita pulchre locutus est, Filius, inquit, Dei a Patre solo est; non factus, nec creatus, sed genitus. Ex quo videlicet Possevinus in Appar. voce Athanasius, et Torrensis in præfat. ad Confessionem Aug. ac Bellarminus in lib. 2. de Christo cap. 25. Symbolum vulgo Athanasii dictum, eidem ipsi assertum Augustini auctoritate putant. Contra vero Petavius in Theolog. dogmat. de Trinit. I. 7, c. 8, n. 7, verba illa dicit fuisse Augustino temere assuta : quæ revera absunt a nostris omnibus MSS. nec reperiuntur in editis Am. Er. et Lov.

ANNOTATIO (8) pag. 57.

Edit, Paragozizamur. MSS. plures, Panegorizamur : alii vero, Paregorizamur : ad quod verbum in Christinaeano MS. additur, id est, mulcemur. Nempe a παρηγορεῖν, quod est consolari, duxerunt me dici paregorizare, pro mitigare, lenire et temperare. Anonymous medicus a V. C. Cangio in Glossario relatus, Paregozica, ait, sunt, quæ paregorizant, ne malum crescat, non sanant.

ANNOTATIO (9) pag. 126.

Martyrium ille Thinissæ seu Thimisæ in Africa non procul Hippone subiisse narratur octavo idus Novembris.

ANNOTATIO (10) pag. 186.

Severum Milevitanum episcopum hic laudari visum nobis est, considerato sermone in Psal. xciv. n. 1. et 5.

ANNOTATIO (11) pag. 334.

His ex verbis merito conjicias sermonem habitum fuisse in aliquo episcoporum consessu.

ANNOTATIO (12) pag. 373.

Amalii et Er. *Caius æneus* : MSS. *Gaius æneus*; alii habent Lov. *Gaius. onæus*; *Gaius Genus*; sed in posterioribus legi solet *Gaiuseius*, uno verbo pro quavis in genere persona posito, uti supra in Psal. LXX, serm. 1, n. 14, et Tract. 7. in Joan. n. 25. Quanquam Tertulliani Apologeticus cap. 3. unde isthic locus acceptus videtur, sic in editis habet, *Bonus vir Caïus Seïus, tantum quod Christianus*, (vel) *sed malus tantum quod Christianus*.

ANNOTATIO (13) pag. 446.

Hoc certe exordio non apud suos utebatur: sed sermo iste, sicuti in pervetusto Floriacensi codice prænotatur, *habitus est Uticæ in basilica Massæ Candidæ*. Vide annotationem sequentem de num. 17.

ANNOTATIO (14) pag. 465.

Hic Martyres, vulgo Massa Candida, laudantur, quorum in basilica, apud Uticam, sermonem habitum esse ex Floriacensi MS. deprehendimus. De iisdem Martyribus jam supra in Psal. XLIX. n. 9. Confer sermonem 112. de diversis: neconon ser. 115. cuius cap. 10. *Uticensis Massa Candida* appellatur.

ANNOTATIO (15) pag. 515.

Hac de re superius egit apud Carthaginenses, in Psal. CIII. ser. III, n. 9-12.
